

in praesentia Comitum Mansfeldicorum, Theologorum, & filiorum suorum, Martini, & Pauli, qui hodie nostri Electoris Clementissimi medicus est, doctrina, sapientia, & candore Vir excellens: Verba precationis haec sunt: Mi pater cælestis, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Deus uniuersæ consolationis, gratias tibi ago, quod mihi dilectum filium tuum Christum Iesum reuelasti, in quem credo, quem prædicaui & confessus sum, quem amavi & laudaui: quem abominabilis Papa & omnes impij vituperant, persequuntur & blasphemant. Oro te, mi Domine Iesu, animulam meam ut habeas tibi commendatam. O Pater cælestis, etiam si hoc corpus mihi est dimittendum, & ego ex hac vita abripiendus sum, tamen certò scio, me tecum in æternum mansurum esse, & neminem me ex manibus tuis eripere posse. Sic enim Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum nobis dederit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Deus noster, Deus ad saluandum, & Dominus est Dominus educens ex morte. Ageo nunc, ageo: Pater, in manus tuas commendabo Spiritum meum, redemisti me Deus fidelis & verax:

Pater